



STEMA
VOINOVITIORUM,

Primos inter Rastianorum Imperii
Optimates Maurus Orbinus Alto-
manovitium commemorat. Reg-
nante illic Uroffio, sive Pyrrho, Cæ-
co appellato, clarebat VOJNO quidam, qui
universam Prosapiam cognominem fecit, vir
magnæ apud Imperatorem æstimationis. Is vi-
carium primum in Chulmiæ Ducatu reginem,
dominium dein hæreditarium à Pyrrho nactus,
tres genuit filios, Thomam, Vojſavum & Altoma-
num ac filias Selam, Brajkoni Chulmiæ Domino
& alteram Pyrrho II. Imperatori, Helenâ Vu-
lajkonis Valachia Principis filiâ, priori con-
juge

juge repudiata, connubio locatas. Filii post obitū
patris Chulmiæ principatum inter se partiti sunt:
cujus ea pars Vojsavo in portionem obtigit, quæ
Ragufinis contermina est adusque Ussitas:
à qua Civitate Comites sive Principes antea præ-
dicabantur; Illyris *Knezi od Ussicz*. Eo mortuo
NICOLAUS Altomani fratris ejus jam functi
filius, patronimicè Altomanovitus cognomina-
tus, ditionibus paternis haud contentus, illius
quoque possessiones & loca quæ gubernarat, ar-
morū vi occupavit; in quibus quò minùs dein-
ceps turbetur, Stephanum & Dobrivojum Vojsavi
natos, unà cum matre eorum, septennali carcere
mancipavit: non tamen veneno interemit, ut
Orbinus cujusdam opinione existimat. Thoma
sine hæredibus decedente. NICOLAUS
hic corporis animique dotibus illustris in vi-
rum insignem excrevit, Chulmiæque ducatum,
quem pater & patruus ejus possidebant, propria
sub potestate habuit: sed nec eo contentus,
alias adusque Sirmii limites provincias occu-
pavit, ad Bosnæ fines & Drinum usque domi-
nium extendens. At quantum corporis ani-
mique valore pollebat, quantumque domi po-
tens, militiæ strenuus, belloque fortunatus,
tantum etiam ad arripienda arma facilis, & ad
bellum vicinis Principibus inferendum teme-
rarius

rarius adeò fuit, ut neminem sese fortio-
rem aut in Orbe terrarum potentio-
rem existimaret. Quare bellis continuo movendis intentus
impatienti animo felices Vukassini sive Vulcani
Rassiae Regis & Ulyssis fratris ejus (qui Cæsaris
sub Imperatore titulo gaudebat) progressus aegrè
ferens (eò quòd spreto benigno Principe in jus
& dominia ejus vi & fraude magè irrepebant)
foedus cum Lazaro Serbiæ Regulo sanxit, in cu-
jus societatem Imperatore quoque attracto,
conflatoque ingenti exercitu ad debellandum
Vulcanum & Ulysses in Merulanum campum,
indigenis Kossovo, processerunt; ubi collatis sig-
nis acrique exorto prælio, Lazarus turpi cum
omnibus suis fugâ surreptus causa fuit, quòd
Nicolaus enormi suorum clade affectus aegrè
vitam salvârit, & Pyrrhus Imperator cum non
nullis Aulæ suæ primoribus, cæteris interemp-
tis, vivus in manus hostium inciderit. Sed
post infaustam dein trans Hebrum in Thracia
cladem, occubitusque Vulcani & fratrum e-
jus, cum Lazarus Pristinam, Neomontem & vi-
cina loca ab hæredibus Vulcani sibi subegisset,
Nicolaus quoque totam eorum ditionem suis
conterminam provinciis occupavit. Infensus
deinde Bosnensibus, eorum confinia vastabat;
et Tvartkoni, sive Valerio, potentissimo regio-

nis Bosſnane Exarcho plurimas incommoditates
& innumera damna fecit. Confluxit in Biſze
cum Turno Podgradjanino, quo in vivis cap-
to, dum exercitum ejus cecidiſſet, proſtigaviſ-
ſet, provinciam diripuit, vaſtavit, penetran-
do uſque in Leporin & circumjacentia loca.
Multis quoque damnis Ungariæ fines vexavit.
Sed & Lazarum ſui & Imperatoris nuper prodito-
rem occiſum iri deliberârat, quó faciliùs & illius
provincias occupet: quod quamvis Lazarus præ-
ſenſiſſet, tamen amiſſis duobus nobilibus, &
ipſe graviter ſauciatus, miraculò plùs, quàm
aſtu & fuga ægrè ſuperavit. At Lazarus, cu-
rato vulnere, ulturus injuriam, Legatis apud
Ludovicum Pannoniarum Regem ſuppeticas ad-
verſus NICOLAUM flagitat, argenti librarum
millia duodecim & perpetuum vaſallatum ei
ſpondens: alias à Tvarckone ſollicitans: ab u-
trinque obtinuit. Hinc cum regio mille ha-
ſtigerorum exercitu, duce Nicolao Garano, Ba-
no Sirmienſi, & cum Bosſnanis copiis, præſi-
de ipſo Tvarckone Bano, Altomanovitij ditio-
nes invaſit hoſtiliter, omniaque ferro & igni
ſubmiſit. Altomanovitiuſ cum armis im-
par, tum ſpe minor, Belli fortunæ cedens,
verſus Maritimam ſe recepit. Petiit primùm
arcem Klobuk, quam Sorchitiis nobilibus ſuis,
cum

cum multis alijs beneficijs custodiendam dederat, sed à perduellibus non receptus, & jam à plurium defectione se tradditum iri metuens, versùs Tribuniam & Canales abiit. Cùmque nec isthìc gratum à subditis officium habuisset, rediit, inque arce sua Ussitia se firmavit. Quod dum audisset Princeps Lazarus, confestim cum toto exercitu eò appulit, arctaque obsidione cinctum, adeò, & igne plurimùm, fatigavit, ut Cives ad deditionem arcis coacti Lazari paruerint imperio, & Nicolaus cum omnibus sui facultatibus in hostis manus vivus inciderit. Tum Lazarus captivum Nicolaum capitalium ejus inimicorum custodiæ dedit; quorum principalis Stephanus Molsitius, Lazari annuentiâ, oculos Nicolao erui fecit. Nicolaus itaque luce & bonis privatus, nullibi securus, ultimò ad Balsæ Principis filios, cognatos suos deductus, tandem A. C. 1374. dies vitæ finiit. Dominia ejus & ditiones sine lege partitas confœderatorum quisque sibi finitimas usurpavit, exceptis Tribunia, Canalibus & Dracevitia, quas Balsiades post Nicolai obitum sibi appropriârunt. DOBROVOJ, à carcere Nicolai liber, uxorem duxit Susannam è genere Subitorum, Comitum de Breber, qui acta nomini coæquavit, ut miles egregius dici

meruerit, dum & arma inter occubuit in Campo Merulano, A. C. 1389. LUPUS illi superfuit filius, Ex Czveticza, sive Flora matre, Pauli Kristich filia, qui & Vojno dictus fuit, tum in attavi sui memoriam cum ob generosam in bellando strenuitatem; A. 1408 notissimus. Meminit Cæsareum Privilegium alterius etiam LUPI Vojnovitii, ad A. C. 1460. viri strenui & bellicosi, ut prioris filius non ineptè censeatur extitisse. Nominat & STEPHANUM Vojnovitium, Hlivnio (olim Funium) dominantem, qui Sabaciâ expugnatâ clarus ad A. C. 1496 memoratur. NICOLAUS præterea sub A. 1523. Circa idem tempus vixit & JACOBUS Vojnovich, juvenis miræ pulchritudinis unâ & fortitudinis, à Dorathea Caroli Torquatis Corbaviæ Comitis Vidua, Joannis Carlovitii cognominati, Illyridum Proregis, matre extremè adamatus: unde maternos amores filiale odium persecutum causâ fuit, ut Jacobus 12 arces Catlovitii circa Gazkam igne mulctaverit. quem Carlovitius dein captum, veruque infixum inter duos ignes assari fecerit, matrique edendum obtulerit. Nicolao erant filii BALTHASAR, qui ineunte juvenili ætate occubuit, & STEPHANUS suo fluvio & castello Vojnovich in Districtu Ztenicsnyak Croatiae Mediterraneæ,

no-

nomen dedit : vir prudens & bellicosus, qui post
desolationem Croatiae, Regum Ungariae stipen-
dia meruit, ac postquam plurimis acribus per
Illyricum & Pannonias conflictibus dux &
miles interfuisset, tandem penes Nicolaum
Com. Zrinianum, Illyrici Proregem, in Sige-
thanæ arcis defensione occubuit : MICHAEL
ex Elisabetha Balsa filium reliquit super-
stitem, avitæ virtutis imitatore, qui A. 1599.
in prælio ad Quinque ecclesias vitam per vulnera
efudit. PETRUS Michaëlis ex Christina Viresitia
de Szelnicia filius, Equestris Militiæ Ferdinandi
II. Rom. Imp. contra Svecos Capitaneus,
post multa præclara foris edita facinora, domi
obiit A. 1639, sepultus in Ecclesia FF. D. Pauli I.
Eremitæ Monasterii Svecicensis supra Ozalium.
Uxor huic erat Dorothea Budacska de Bucha :
liberi Stephanus, Anna, Judith & Susanna; hæ
duæ jugi virilis insciæ in libertate virginali Chri-
sto mortuæ, & illa Petro Hranilovicio, viro milita-
ri, Hussarorū Præsidii Carlostadiensis Capitaneo
nupsit; STEPHANUS verò Principalem
antenatorum suorum titulum de Chulmiæ Du-
catu, & Ussitiorum Comitatu, Baronali de Voj-
novich & Senta, per Majestates Leopoldi Rom.
Imp. Semper Augusti, modò regnantis, restav-
ravit; qui successivis confiniariæ Militiæ offi-
ciis

ciis ad Capitaneatum Ogulinensem promotus, ipsum Conelli five Chilarchi titulo primus insignivit. Et postquam variis hostilium arcium ob- et expugnationibus adfuisset, in Castaneapoleos vastatione, anno Christi 1687. die 17 Mensis Augusti gloriosè occubuit. Reliquit ex prima conjuge, Juditha Poglyedich de Kurilovcz, Petrum & Franciscum superstites filios, nec non Catharinam filiam: Joanne & Anna Theresia gemellis antè sui occubitus vitam functis. PETRUS adolescentiâ florens Husarorum Carlostadiensium Vice-Capitaneus in acri cum Turcis ad Mutnitiam arcem, duce Hranilovitio, conflictu, anno 1693. libertate, & in carcere Jajcensi vitam privatus est, uxoris expers. FRANCISCUS Sumbergensis præsidii vexilli honorem tenēs ex Anna Maria Dragovanitia tres jam suscepit filias, Justinam, Veronicam & Victoriam; quarum ultima infans obiit. CATHARINA Equitis Pauli Ritter consortio juncta. Ex secunda uxore, Anna Catharina à Liechtenberg, adhuc superstite, plures reliquit liberos, JOSEPHUM, nunc in Equestri Parmæ Academia agentem, JOANNEM & ANTONIUM, omnes magnæ Adolescentes expectationis: ac THERESIAM filiam, inter Vestales Fluminensis Conventus Virgines vitæ principia excolentem: Stepha-


phano & altero Antonio gemellis, nec non Rosalia, item Anna, Theresiæ congenita, in tenera ætate ad vitam migrantibus meliorem. Præmissa omnia, quæ Hominum ævi nostri memoriam excedunt, desumpsimus potissimum ex *Regno Slavorum* Abbatis Mauri Orbini, Diplomate Regio- Cæsareæ Leopoldi Aug. Majestatis, fragmentisque & instrumentis litterariis, ac vetustis Patriæ cantilenis, pro re historica communiter apud Illyros observatis.


*AD INSIGNIA STEMATIS
VOJTIANI.*

Bellorum variis Regnorumque inclyta signis
Scuta, potens signant hocce fuisse Genus.
Sed, cum fatali Luna, variata reseruit
Fata. manet Virtus: cætera Sortis erant.

ARBOR GENEALOGICA PROSA-
PIÆ VOJNOVITIANÆ.

VOINO.





fol. 38.

Anno 240.

